UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Valerii Andreae Desselii Erotemata Ivris Canonici

Andreas, Valerius

Francofurti & Lipsiae, 1720

XIV. De ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63277

Visual Library

QVarta quæſtio eſt, an ordinatio valeat facta ab epiſcopo, poſtquam epiſcopatui renunciavit. Reſpondetur per diſtinctionem. Aut enim epiſcopus renunciavit tantum loco, aut loco & dignitati. Priori caſu ordinatio valet. Poſteriori ſubdiſtinguitur, aut enim contulit minores ordines, & valet ordinatio: aut ſacros ordines,& ſubdiſtinguitur: quia ſi ordinem accipiens ignoravit eum renunciaſſe, nec ſupina eſt ignorantia, per diſpenſationem admittitur, ſin minus, executionem officii non habebit. *c. 1.* Similiter diſpenſatur cum clerico, qui per ignorantiam ab excommunicato epiſcopo ordines accepit. *c. 2.*

XIV. De ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.

ABſolutis generalibus quæſtionibus ad or- 1
dinationem pertinentibus, jam dicendum de prælatis, de quibus duæ quæſtiones diſſolvuntur, videlicet qui ſint præficiendi, & quomodo præficiendi. Quod ad priorem quæſtionem attinet, in eo qui præficiendus eſt, tria ſpectantur, quæ in hac rubrica proponuntur: ætas, qualitas, & ordo. §. De ætate 2
hæc notentur. I. Qui eligitur epiſcopus, non debet eſſe minor triginta annis. *c. 7. in pr.* (ubi legendum *egerit*, non, *exegerit*) & *c. cum nobis. 19. verſ. de legitima. & diſtinct. 77.*

c. epiſcopus. II. Qui ad inferiora miniſteria vocatur, ut ad decanatum, archidiaconatum, & alia quæ curam animarum habent anne- xam, vel ad eccleſiæ regimen pertinent, non debet eſſe minor viginti quinque annis. *d.* *§. inferiora.* olim non debebat eſſe minor ginta annis, niſi neceſſitatis cauſa admitte- tur, ut probatur *diſt. 78. c. penult. & ult.* *hibito. c. 1. h. tit.* III. Cum iis, qui vigeſimum annum compleverunt, ut dignitatem vel per- ſonatum ſine cura animarum obtineant, epi- ſcopus diſpenſare poteſt. *Inf. l. 6. c. un.* at ſolus Romanus Pontifex diſpenſat, ut *d.* *de. electio. c. innotuit.* 20. IV. (Ut hæc ob- ter addam) in diacono & lectore requiritur ætas viginti quinque annorum: in ſubdiaco- no & acolutho viginti: ad alios autem mi- nores ordines ab infantia admittuntur. *d.* 28. *c. de his.* 6. *& diſt. 77. c. quicunque* *ſubdiaconus.* 4. *c. placuit.* 5. in diaconiſſa re- quiritur ætas quadraginta annorum. 27. *q.* *c. diaconiſſam.* 23. Sed hodie poteſt quis an- no decimo octavo ad ſubdiaconatum, & vi- geſimo ad diaconatum promoveri. *Inf.* *tit. Clem. ult.* Hæc ita jure Canonico obti- nent. Jus civile in quibuſdam variavit, ſed noviſſime Juſtinianus *Nov.* 123. *c.* 13. in epi- ſcopo triginta quinque, in diacono & ſubdia- cono viginti quinque, in diaconiſſa qua- draginta, in lectore octodecim annorum æta-

em requirit. Hæc de ætate dicta ſint. §. De 3
qualitate præficiendorum multa Gratianus
tradit *d.* 23. *& ſequentib.* In ſumma talis
debet eſſe, qualem Apoſtolus deſcribit. 1. *ad
Timoth. c.* 3. ut retuli *Sup. t.* 11. *in fin.* nam
quæ ibi dixi de qualitatibus ordinandorum,
potiſſimum in præficiendis obtinent. §. Quod 4
ad ordinem attinet, præficiendus debet eſſe
in ſacris: qui vero eſt in minoribus ordini-
bus conſtitutus, parœciali eccleſiæ ſine diſ-
penſatione præfici non poteſt. *c.* 5. *c. a mul-
tis.* 9. *c. tuam in Domino.* 10. Dictum eſt,
qui poſſint præfici.

XV. De ſacra Unctione.

Conſequenter dicendum quomodo præ- 1
ficiantur. Hic dantur duo præcepta.
Primum præceptum eſt, ut in conſecrando e-
piſcopo vel presbytero adhibeatur ſacra un-
ctio. Intellige unctionem externam, quæ
eſt viſibile ſignum internæ unctionis, id eſt,
gratiæ a Spiritu ſancto infuſæ, ut unctus of-
ficio & miniſterio ſibi commiſſo recte fungi
poſſit. §. Epiſcopi caput & manus chriſmate, 2
quod ex oleo & balſamo conficitur: ſacer-
dotis manus, & regis brachium oleo benedi-
cto inunguntur, præterea quilibet Chriſtia-
nus ante baptiſmum inungitur oleo benedi-
cto, primum in pectore, deinde inter ſcapu-
las: & poſt baptiſmum chriſmate ungitur
primo in vertice, poſtea in pectore. Item

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN